



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De Conditione apud Baptismum in necessitate 64

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

## Accusatio de conditione apud Baptismum in necessitate.

## CAP. LXIV.



**V**LTERIVS reprehendunt Aduersarij, quod in Libro Reformationis nouus eorum abusus reiicitur, in Conditionali illa locutione, quam vsurpant apud Baptismum paruulorum, qui in necessitate baptisati sunt, cum dicunt, Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.

## Responsio.

**Q**Uæ fit, vt hoc loco non etiam antiquos Patres & Concilia citent? Sed quicquid semel in abusum apud eos peruenit, quamuis ineptum & absurdum sit, id propugnant, atque omnino defendere conantur: Deo autem gloriam dare nolunt, vt vel vnum aliquem errorem fateantur. Cæterum fideles probè nouerunt, Christum Dominum non iussisse, simpliciter agere, & baptizare eos de quibus constat, quod baptizati non sint: non autem mandasse, vt propter dubitationem nostram verba eius dubiè & ambigüè proponamus. Ad eundem quoque modum antiqua Concilia & S. Patres ordinarunt, atque obseruarunt, vt testatur Canon. 39. Concilij Africani, quem etiam Gratianus. Dist. 4. de Consec. introduxit. In quo Canone præcipitur, vt infantes sine omni dubitatione baptizentur, quoties de eorum baptismo non inueniuntur certissimi testes. Idem iubet & Leo Pontifex 1. Epistola 35. & 90. Vbi igitur certi testes non sunt, quare homines non directè neque minimè dubiis verbis baptizarentur? Vbi verò tales habentur, quare repeteretur Baptismus?

Can. pla  
cni.

## Vltima Pars.

## Qua lingua debeat Ministrari Baptismus.

## CAP. LXV.

**P**OSTREMÒ accusant Librum, propterea quod ordinauit, vt vernacula lingua vsurpetur, item vt Baptismus diebus dominicis cum tota Ecclesia est congregata, ministretur. Dicunt ista vniuersaliter, aut saltem cum præscientia præpositorum instituenta & ordinanda fuisse.

## Responsio.

**A** Deò nihil valet apud homines istos principatus Christi & Spiritus S. qui tam seriò mandauit, vt omnia in Ecclesia sua intelligibiliter, summaque cum grauitate & Religione peragantur, quò presentes omnes in fide Christi ædificari queant, vt hoc mandatum Dei velint hominibus remitti, donec id vel omnibus, vel saltem huic magistratui placeat,